



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Imaginaria huius capitis visio describitur. Sectio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICVM.

De sexta visione Ioannis.

Imaginaria huius capituli visio describitur.

SECTIO PRIMA.

Ommemorât Ioannes venisse ad se vnum de septem Angelis, qui habebant septem phialas, de quibus dictum est superiori capite, dixisseque sibi: *Veni: ostendam tibi damnationem meretricis magna, qua sedet super aquam multas, cum qua fornicati sunt Reges terra.* Tum addit apparuisse sibi huiusmodi visionem. Primò, Vidit mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem & cornua decem. Quod ait, *Mulierem sedentem super bestiam coccineam:* dubium est in Latina editione, vtrum illud nomen *coccineam* ad bestiam, an ad mulierem pertineat: Verùm ex Græco cõtextu est perspicuum non posse ad mulierem, sed ad bestiam spectare. Sic enim Græcè legim. *ἡ δὲ ἄνθρωπος ἔβλεψεν τὴν γυναῖκα καὶ τὴν θηρὸν ἐπὶ ἧς ἔκειτο.* Secundò, Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, ac margaritis. Tertio, habebat poculum aureum in manu, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eiusdem. Quarto, In fronte eius erat nomen scriptum: *Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terra.* Quidam existimant nomen scriptum in fronte fuisse hoc nomen, *Mysterium:* alij, quod videtur probabilius, sentiunt nomen scriptum fuisse illud, *Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terra.* Nomen verò, *Mysterium,* appositum esse per parenthesis, vt indicetur in nomine, quod gerit scriptum in fronte, arcanum quiddam, plenumque mysterij latere. Quintò, Ait Ioannes vidisse se mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu, vehementerque fuisse admiratum. Sextò, subiungit explicatum fuisse ab Angelo sacramentum mulieris, & bestiarum, quæ Angeli explicatio magnis quoque & ipsa difficultatibus est implicita. *Bestia, inquit, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abyssis, & in interitum ibit. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & Reges septem sunt: quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit, & cum venerit, portet illum breue tempus manere. Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octava est, & de septem est, & in interitum valet. Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam. Et vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestia tradent. Et cum Agnus pugnabit, & Agnus vincet illos. Decem cernua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestia, donec consummetur verba Dei. Denique vt se magis Angelus explicaret, subiunxit: *Mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terra.* Hæc fuit Angeli interpretatio, quæ adhuc interpretationem requirit.*

Dubitatio.

Duplex opinio de nomine mulieris.

Fff iiii